



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

71. An hodie Religiosi, qui habent specialem, & plenam exemptionem, vt sunt Mendicantes, includantur in citata Clementina, ita vt ipsi teneantur, vt executores reddere rationem Episcopis, possintque ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

## RESOL. LXX.

*An Religiosi Executores testamentorum teneantur reddere rationem coram Episcopo?*

*Et an ab eo puniri possint, si forte deliquerint, vel debeant puniri à suo Prelato, non tanquam suo Prelato, sed tanquam loci Ordinario? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 36.*

§. 1. **R**espondeo cum Layman. l. 3. tract. 5. c. 9. n. 4. quod si Religiosi claustrales testamenti executores fuerint, rationem reddere debent locorum Ordinariis, à quibus etiam puniri poterunt, si in executionis officio deliquisse reperiantur, quamuis aliquin à iurisdictione illorum exempti sint. Ita habetur in *cl. Clement. unica de testam.* Et ita docet etiam *Lezana in Sum. Tom. 4. vers. Testamentum, num. 4. disp. 4. dub. 13. §. 6. num. 4.*

2. Sed hoc dubium habet *VVadingus tract. de contract. vbi sic ait.* An quando Religiosi exempti sunt executores, teneantur Episcopo rationem reddere, & puniri possint, si forte deliquerint?

3. Respondeo generatim loquendo ita dicendum, cum sic statuatur in *Clementina unic. de testam.* Sed primum limitandum id ex glossa, vt intelligatur de Religiosis claustralibus: qui enim extra claustra legitime degunt, cum, vt *supra* dictum est, non indigeant licentia Superioris, non videntur hoc decreto comprehendendi, cum nominentur illi soli, quibus opus est licentia ad hoc munus suscipiendum; cum ergo isti non indigeant, non videntur obligati ad rationes reddendas Ordinario. *Secundo*, si Abbas claustralis habeat iura Ordinarij, non tenetur aliter rationes reddere, quam solet Episcopus, quando ipse exequitur, quia in *Clement. ch.* non dicitur, Religiosos debere Episcopo reddere rationem, sed locorum Ordinariis atque hic est Ordinarius, vt suppono, & cum alia possit, quæ sunt iurisdictionis Episcopalis, cur hoc etiam non possit: quod etiam probabiliter extenditur ad Religiosum claustralem, qui habet ab Abbate tali licentiam exequendi; talis enim rationem redd. t. Abbati, non tanquam suo Prelato Religioso, sed tanquam loci Ordinario, præsertim si testator fuerit subiectus ipsi, tanquam Ordinario. Et hæc omnia *VVadingus*, quæ secundum eius mentem dicta esse volo.

Sup in ref. quæ hic est it. per totum, & figuranter §. Omnis. & §. vlt.

## RESOL. LXXI.

*An hodie Religiosi, qui habent specialem, & plenam exemptionem, vt sunt Mendicantes, includantur in citata Clementina, ita vt ipsi teneantur, vt Executores reddere rationem Episcopis possintque ab his, si in hoc deliquerint puniri? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 37.*

§. 1. **A**ffirmatiuè responderi Peirinus *de Prelato* q. 3. c. 5. n. 23. vbi docet omnes Regulares, siue Mendicantes, siue non, teneri, vt executores testamentorum, rationem reddere dictæ executionis Ordinariis, possintque ab his, si in hoc deliquerint, puniri. Et hæc etiam sententiam tenent Doctores, quos citat, & sequitur *Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 6. c. 11. n. 22.* quibus adde *Palaam. tom. 3. tract. 16. disp. 4. puell. 13. §. 1. n. 7.* vbi sic ait, Tenetur tamen Religiosus, etiam si exemptus sit, coram Ordinario rationem suæ executionis reddere, ipsæque Ordinarius obligatus est eam exigere, quia ita canetur in *dicta Clementina unica, de testam.* Et licet, *Man. Rodriguez tom. 3. q. regul. q. 70. art. vlt.* cum *Richard.* affirmet hoc esse intelligendum de Religiosis solam communem exemptionem habentibus, qui ratione contractus vel delicti coram Ordinario conueniri possunt, iuxta *cap. 1. de Priuileg.*

in 6. non autem de Religiosis ita plenè exemptis, vt ob illas causas coram Ordinario non conueniantur, quales sunt modò omnes Mendicantes, & eorum priuilegijs gaudentes, tenendum nihilominus est, omnes Religiosos cuiuscumque exemptionis sint, in hæc parte Ordinarijs subiecti, nisi expressum priuilegium habeant, quo dictæ *Clement.* derogetur, quia *Clementina* absolūtè loquitur, & absque vlla distinctione, Ita *Palau.*

2. Sed his non obstantibus, non desunt Doctores contrarium asserentes, quos hic per extensum apponam *Rodriguez in Sum. tom. 2. c. 156. n. 8.* [El Religioso testamentario aunque sea exempto, o Prelado tiene obligacion de dar cuenta al Ordinario de como se vuo en su ministerio, segun derecho, el Ordinario esta obligado à pedirselo, lo qual se entendiendo, segun *Richard.* faluo en los Regulares, los quales, segun sus priuilegios, no pueden ser compellidos delante del Ordinario, por razon del delicto de contracto, como son todos los Mendicantes. Y esta opinion tiene *Syluestro.*] Ita ille ait, adde *VVadingum tr. de contract. d. 4. d. 13. §. 6. n. 5.* vbi sic ait, Dubitant circa *Clement. cit.* an hodie Religiosi, qui habent specialem & plenam exemptionem à foro Episcopi, teneantur ad rationes, *Sanchez l. 6. de precept. c. 11.* obligari teneri, *Ancharanus* videtur idem sentire, in *dicta Clement.* Communior omnium sententia est, non teneri. Hanc sequuntur Doctores ex omni Ordine Mendicantium, *Sylu. verb. ref. 2. q. 1. Armilla executor, q. 14. Eman. Rodriguez tom. 3. q. 70. art. vlt.* *Molina de Inst. disp. 247.* & plures alij, docent enim exemptos in illa *Clement.* intelligi illos, qui habent generalem exemptionem, qua non obstante possunt conueniri coram Ordinariis, ratione delicti, vel contractus non verò illos qui habent specialem, & omnimodam, propter quam quando in claustris viuunt, non possunt conueniri coram Episcopo, vel ratione delicti, vel contractus, & dubitari non potest, quin post *Clementem V.* conditorem istius Canonis, amplissima priuilegia exemptionum sint data Mendicantibus. Ita *VVadingus*, & præter *Molinam*, & alios ab *VVadingo* citatos, tenet hæc sententiam in fauorem Mendicantium, *Fagandez de contr. lib. 6. cap. 5. numer. 5.* & nouissime *Carp. de exec. testam. lib. 1. cap. 5. numer. 42.* sic asserit, Religiosus executor, seu Commissarius exemptus, tenetur rationem reddere susceptæ executionis, & commissiois Ordinario, in qua si deliquerit ab eo puniri poterit. Ita sancitum stat in *dicta Clement. unica de testam. vbi glossa verb. reddere, & ibi Panormitanus numero tertio, vers. ratio ista, Cardinalis à num. 11. & alij. Imol. num. 2. & 16. Pater Molina disp. dicta. 247. numer. 21.* qui indistinctè id constituunt. Circa quod aduertendum est, quòd *Richardus in 4. dist. 45. question. 2. art. 5.* verum id intelligit in Religiosis habentibus exemptionem communem, qui tamen conueniri possunt ratione contractus, delicti, seu rei, vt *cap. 1. de priuilegijs, lib. 6.* secus in his, qui in prædictis casibus conueniri nequeunt; tales enim nec ab Ordinario puniri, nec ei rationem reddere tenentur: sequuntur *Angel. Clauasius in Summa verb. executor, numer. 20. Syluester vers. Testamentum 2. numer. 2. versic. quartum, Emanuel Rodriguez dicta q. 70. art. 5. Pater Vega in Summa cap. 114. casu 5. vbi refert Tabien. verb. executor, n. 15. Armillam eodem verbo, num. 14.* Hi enim, præsertim *Rodriguez, versic. & huiusmodi*, tradunt, [quòd omnes Mendicantes, & qui eorum priuilegijs gaudent, nec puniuntur, nec conueniuntur ab Ordinario. Hæc omnia *Carpus*, qui postea in *lib. 4. cap. 2. numer. 9.* idem etiam docet.

3. Sed audiamus *Molfesum in Summa tom. 2. tit. 14. cap. 11. num. 29.* Quando Religiosi sunt executor

utores vltimatum voluntatum, tunc licet de iure te-  
neantur reddere rationem Ordinariis locorum, vt in  
Clem. vnic. de testam. ibi. Præsentis constitutionis  
auctoritate statuimus, quod tales (etiam si Prælationis  
fungantur officio) locorum Ordinariis debeant redde-  
re rationem, &c. Et licet textus velit, vt etiam possint  
Ordinarij huiusmodi Regulares in munere execu-  
toris delinquentes punire, quamuis exempti sint. Atta-  
men ibi gloss. in verb. tales, subdit, quod dum in spe-  
cie non est derogatum suis priuilegijs, id fieri nequit.  
Ino stante priuilegio exemptionis, nec per Ordina-  
rios cogi possunt ad reddendam rationem, vt bene post  
alios probat Rodrig. tom. 3. q. 99. Regular. q. 70. art. 5. &  
seruatur in praxi; nam à suismet Prælati ad id cogun-  
tur. Ita Molfesius.

Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem  
questionem; ego verò iudicium meum non interpo-  
no, quia nolo tragedias suscitare.

RESOL. LXXII.

An Episcopus in causis, in quibus fuit Executor vltima-  
rum voluntatum, teneatur reddere rationem coram iu-  
dice laico, vel saltem coram suo Metropolitanò? Ex  
p. 8. tr. 5. Ref. 42.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet Molina de  
Iust. rom. 1. tract. 2. disp. 247. n. 1 & post illum  
VVadingus de contr. disp. 4. dub. 1. §. 6. n. 3. vbi sic ait.  
An verò quando Episcopus exequitur, teneatur ratio-  
nem reddere iudici seculari; vel cætera facere quæ dis-  
ponuntur in dicta l. nulli, alij dicunt non esse in vsu.  
Molina disp. 247. dicit, seruanda omnia. Consulenda  
hic locorum consuetudo nam lex pro iudice est clara,  
nec per canones correctæ. Ita ille.

2. Sed cautè legendi sunt in hoc Molina, & VVad-  
dingus, cum eorum opinio sit contra Ecclesiasticam  
immunitatem, & Episcopalem dignitatem. Dico igitur,  
quod in tali casu Episcopus tenetur reddere ratio-  
nem coram suo Metropolitanò, & sic docet Carpius  
de exec. testam. lib. 4. c. 2. n. 2. vbi ita asserit. Episcopus  
cui à testatore iniuncta est aliqua distributio inter pau-  
peres, vel aliud opus faciendum, astrictus est rationem  
reddere Metropolitanò, ex dicta l. nulli, C. de Episc. op.  
& Cleric. & dicta l. 5. tit. 10. part. 6. text. Tenudo es el  
Obispo de dar cuenta por si o por otro al juez ordinario,  
quanto captiuos sacò, & quanto dio per cada vno de  
aqueellos dimeros; text. in Auth. de Eccles. tit. §. si quis  
autem pro redemptione captiuorum versis autem qui hoc  
facere iussi sunt, in illis verbis: si autem sanctissimus  
locorum Episcopus reliquerit aliquid horum, quæ à nobis  
dicta sunt, liceat sanctissimo eius Metropolitanò hæc omnia  
exigere & complere; vbi gloss. verb. reliquerit. Greg.  
Lopez. in d. l. 5. gloss. 6. verbo, al juez ordinario, vbi in  
finalibus verbis iudicem ordinariu Episcopi (ad ratio-  
nem reddendam) intelligit Metropolitanum. Et  
hanc opinionem tenet etiam Escobar de ration. cap. 3.  
n. 19. & Spino de testam. gloss. 28. n. 42.

RESOL. LXXIII.

An saltem alij clerici Executores testamentorum te-  
neantur reddere rationem coram iudice laico? Ex p. 8.  
tra. 5. Ref. 43.

§. 1. Affirmatiuè respondet Alphonsus de Escobar,  
tract. de iurisdictione Pontificia, & Regia in  
Sudis generalibus c. 50. §. 4. num. 47. Sed ego puto  
non esse discedendum à sententia, quam docet Marta  
de iurisd. part. 4. cont. 2. cas. 148. n. 16. vbi concludit

non posse Clericos suscipientes executionem testa-  
mentorum cogi coram iudice seculari ad reddendam  
rationem, sed coram Ecclesiastico iudice dumtaxat  
commeniendos esse. Quod patet ex cap. Ioan. de testam.  
& ex Clem. eod. tit. & Abb. in d. Clem. n. 8. rationem  
reddit, quia cum Clerici Ecclesiastico iudici sub sint, &  
non secularibus, non his, sed illis rationem admini-  
strationis reddere debent.

RESOL. LXXIV.

An Clericus Executor testamenti super confessione in-  
uentarij possit citari à iudice laico?  
Et ex doctrina huius Resolutionis aliqua alia dubia, &  
difficultates quasi per transitum docentur, quæ alibi  
in suis specialibus Resolutionibus, & proprio tra-  
ctatu late sum discussæ & explanatæ. Ex part. 8. tr. 5.  
Ref. 44.

§. 1. Piaculum existimarem, si ad hanc quæstio-  
nem responderem cum alijs verbis quàm Car-  
pij de exec. testam. lib. 3. c. 10. n. 32. & seq. sic asseren-  
tis: In dubium vocatur, an Clericus executor, seu  
commissarius super confessione inuentarij, citari pos-  
sit à iudice laico, vel ad petitionem partis, vel ex of-  
ficio (si iudici visum fuerit expedire, seu necessarium  
fore: ) quod dubium affirmatiuè decidendum videtur,  
ex eo, quod non sit vera & simplex citatio, sed potius  
monitio, vt compareat (si voluerit) quæ non sup-  
ponit iurisdictionem nec ardat citatum ad necessariò  
comparendum, ita in simili docent plures, quos citat,  
& sequitur Ceuallos tract. de cognitione per viam vio-  
lentia, 2. p. q. 78. num. 3, & alij. Curia Philippica 1. par.  
§. 5. n. 31. Gironda de gabellis 4. part. §. 1. n. 18. & alij.  
Vnde nil mirum, si ratione officij super rebus profanis  
ei iniunctis, citari valeat.

2. Sic etiam vidimus, quod Princeps secularis pos-  
sit punire Clericum delinquentem, ratione officij ab  
ipomet Principe concessi, vt docent Borrellus, An-  
güianus, Suarez, Layman, Cenedo, Bobadilla, & Ceual-  
los vbi supr. 2. p. q. 65. n. 14. quos refert Ant. Diana de  
immun. Eccles. resol. 18. in princ.

3. Quemadmodum etiam persona Ecclesiastica, quæ  
commisit etiam crimen læsæ maiestatis, puniri possit à  
seculari ex aliquorum sententia, Castillus Ramirez de  
lege regia, §. 27. n. 11. vbi gloss. littera D, multos alios  
refert.

4. Eodem modo, iudex laicus poterit Clericum  
compellere ad restituendum depositum, si ad id eius  
tribunali se obligauit, vt docent Guttier. Curia Phi-  
lippica, Salgado, Borrellus, Mexia, & Bobadilla quos  
recenset Ant. Diana vbi supr. ref. 21. in princ. Gironda  
de gab. 4. p. §. 1. n. 20. plures referens.

5. Et pari ratione, citari Clericus poterit à iudice  
laico ad hoc, vt exhibeat iura sua coram eo, in dilatio-  
ne debitori concessa à maiori parte creditorum, vel in  
concessione bonorum, vt docet Ceual. vbi supr. 2. p.  
q. 72. n. 3. Afflictis dec. 280. n. 7. Mast. dec. 79. n. 5.

6. Sed his non obstantibus, verius tenendum est,  
quod Clericus executor, seu commissarius citari haud-  
quaquam possit super confessione inuentarij à iudice  
seculari, siquidem Clericus non potest compelli ad  
comparendum coram iudice laico, vigore generalis  
edicti, seu alio modo: taliter quod Clerico præiudi-  
cium similis citatio, seu monitio afferat, ne eius offi-  
cio, cum hæc à iudice suo Ecclesiastico iure interpo-  
nenda sunt, vt in simili docent Duar. in Bulla Cæna,  
lib. 2. can. 15. quest. 11. n. 10. Marta de iurisd. 4. p. cont. 1.  
cas. 38. n. 8. Bonacina de legibus, disp. 10. q. 2. punct. 1. §.  
1. n. 27. Ambrosinus de immut. Eccles. c. 22. n. 73. &  
alij, quibus se subscribit Diana vbi supr. ref. 19. vers. sed  
contrariam sententiam, vsque ad fin. Et ratio est, quia  
sue

Quævis non  
plene, sup.  
hoc lege ta-  
men in tom.  
9. tr. 2. do-  
ctriam  
Ref. 89.

Sup. hoc in-  
fra in §. nec  
obstat, huius  
Ref. & in  
alijs eius  
not.

Sup. hoc in-  
fra in §. nec  
etiam huius  
Ref. & in  
alijs eius  
not.

Sup. hoc in-  
fra in §. Nec  
sustineri. hu-  
ius ref. & in  
alia ref. eius  
not.

Sup. hoc in-  
fra in §. pen-  
ult. huius  
ref. & in  
tom. 9. tr. 2.  
Ref. 86.